



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn


### **Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lvgdvni, 1659**

II. De Beatitudine.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**



## EXAMEN RRIMUM,

Circa materiam de Fine ultimo, &  
Beatitudine.

## CAPVT PRIMVM.

## De Fine hominis ultimo.



1. *V*ANDONAM actiones humana dicuntur esse propter finem? Quando humano modo operatur. Nil autem aliud est, actionem aliquam esse propter finem, quàm eam effici ex bonitatis ipsius cognitione, vel finis allicientis voluntatem ad operandum: vnde tam intentio finis, quàm electio mediij dicitur esse propter finem.

2. *E*st ne proprium hominis agere propter finem, ita vt ad finem ipse sese excites, ac impellat? Ita planè; bruta enim etsi finem agnoscant quodammodo materialiter, non tamen formaliter agnoscendo rationem finis, & boni, quæ conuenientiam quandam importat. Hinc humana actio suam speciem desumit à fine.

3. *D*atur ne singularum actionum ultimus finis? Datur quidem secundum quid, ultra quem alius absolute & simpliciter ultimus datur, isque tantum vnus est, ob quem alia omnia ab homine appetuntur.

4. *E*st ne hic idem cum ultimo fine creaturarum? Maximè, si de re, quæ finis est, sermonem habeamus; si autem de consecutione eius, idem non est; cum homines cognoscendo, amandoque Deum finem consequantur, aliæ verò creaturæ variis modis iuxta variam eius participationem Deum manifestando: vnde absolute loquendo eundem non esse dicendum finem affirmo.

## CAPVT II.

## De Beatitudine.

*V*binam posita est Beatitudo formalis, & obiectiua? Hæc quidem in solo Deo, illa in hominis actione consistit, eaque

## Examen II. De Actibus humanis.

eaque intellectiuae partis vtriusque iuxta probabilem sententiam: at secundum probabiliores solius intellectus.

6. *Quanam ex Beatitudine proprietates consequuntur?* Plures equidem, ex quibus tres dicuntur animae dotès, Visio, Comprehensio, & Delectatio; nam rectitudo voluntatis effectus tantum est necessarius beatitudinis.

7. *Requiriturne ad essentialem animae beatitudinem coniunctio cum corpore?* Minimè, nec eius societate minuitur, aut augetur nisi accidentariè, ad illam etiam aliqua ratione deriuata.

8. *Quotnam corpori dotès concedentur?* Quatuor, Impassibilitas, Claritas, Subtilitas, & Agilitas.

9. *An amicorum consortium, aut externorum copia bonorum aliquid ad eius perfectionem beatitudinis conferent?* Nihil, Deus enim omnia beato.

10. *Estne ad hanc beatitudinem in homine capacitas?* Ita planè. At neque viribus naturae expletur, nec homini debita, aut proportionata est, cum naturalem omnem excedat perfectionem, ideo congruentius affirmo haud esse naturalem ad eam in homine appetitum: ideoque sine gratiae auxilio ad eam non potest perueniri.




## EXAMEN II.

Circa materiam de Actibus humanis.

### CAPVT PRIMVM.

#### De Voluntario, & Libero.

1.  *Videst humana Actio?* Propriè loquendo, est hominis operatio voluntaria ac libera, aut eius ommissio. S. 1. Volunta-

2. *Quidnam Voluntarium?* Id quod à principio intrinseco fit cum cognitione particularium, in quibus actio consistit. *Reperitur in brutis?* Ita planè, sed imperfectum. Ad perfectum enim Voluntarium etiam rationis vsus, & libertas requiritur.

3. *Quotuplex Voluntarium?* Duplex. Directum, quod à voluntate tanquam à causa fit operante. Indirectum, quod ab eadem tanquam à causa non operante fit. Item Voluntarium expressum, quod signis aut verbis significatur; & tacitum